



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Calvinus Episcoporum & presbyterorum nomina inducit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

capite ac rectore destituitur, qui ad instar centri sit, ad quod omnes totius peripherias lineæ ducuntur? Memineris porius illius quod Cyprianus eo tempore quo schisma Africanas ecclesias inuast, unitatis perturbatoribus obiecit, Esse scilicet in Ecclesia Pontificem qui Iesu Christi obtineat locum cui si omnes uti divino iubentur mandato obediant, nullas in ecclesia turbas, nullas factiones aut scissura fore.

V. Nec vero caput tantum ac supremam potestatem Calvinus, sed ipsa etiam Episcoporum & Presbyterorum nomina ab ecclesia exterminare voluit: quasi de industria omnem ordinem ab Apostolis institutum, (a) & ab eorum successoribus continuo observatum, eversurus. Horum enim utrumque & nomen & munus in S. Scriptura repetitur, iisque præcipui Christianæ reipublicæ fundatores ac propugnatores tam in Græca quam Latina Ecclesia, fuere cõdecorati. Sed capitale quoddam antiquitatis odium Calvinum impulit, ut veteribus his nominibus in mustea illa sua & adhuc spumant ecclesia locum esse noluerit. Qui prima Christianæ rei incunabula descripserunt, inter præcipuos Ecclesiæ antistites Episcopos ponunt, qui Latine Inspectores dici possunt; ut quibus non auditorum modo, sed ipsorum etiam Presbyterorum ac Clericorum cura commendata sit. Sic S. Scriptura (b) Episcopo, à Spiritu S. positos esse dicit, ut regerent Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. In Ecclesia etiam Presbyteri sunt qui apud divinam clementiam, ut S. Hieronymus (c) loquitur, Legatorum munere funguntur, & humani generis causam agunt. Quod quidem nomen multo maius quid ac dignius sonat quam illa SENIORUM à Calvinistis ei succenturiata vox. Quamvis autem nomen hoc cum Episcoporum, uti & Apostolorum nomine promiscue aliquando usurpatum fuerit; munera nihilominus & dignitates semper distinctæ manserunt, Episcopis super Presbyteros, non minus quam Aaron super Levitas dignitatis prærogativam obtinentibus (d). Et sicut Episcopi Apostolis, sic Presbyteri septuaginta illis discipulis successerunt. *Quomodo fieri potest, inquit Epiphanius, f) ut Episcopi & Presbyteri aequales sint? quum Episcoporum ordo, Patrum Ecclesia sit parens: Presbyterorum quidem ordo Patres nõ generat, sed filios Ecclesiæ, per aquam regenerationis. Nemo nisi omnis antiquitatis imperitissimus negabit, secundum Apostolos semper ab Episcopis Ecclesiam fuisse gubernatam, eosdemque duces gregis Christiani, & o-*

vilis Pastores fuisse. Sanctus Dionysius Areopagita inquit, Episcopis præcipuum gubernandæ Ecclesiæ munus divina lege fuisse commendatum. Ipsi vero confusæ æqualitatis & inæqualis confusio- nis auctores, qui contrarium affirmant. Sancti Ignatii, (g) S. Cypriani, (h) S. Hieronymi, (i) S. Augustini, (k) S. Epiphani, omniumque aliorum Ecclesiæ Doctorum auctoritate mendacij facile convinci possunt. Sanctos merito dixi, qui tales omnibus sæculis sunt habiti: quum novorum istorum pseudoapostolorum, qui sine ulla legitima vocatione, annunciando non Evangelio, sed mendacijs suis se ingerunt, nemo hactenus admirabili Dei providentia, titulo isto fuerit decoratus. Quin & pleræque omnes Christiani orbis ecclesiæ Episcoporum suorum seriè ex Archivis ostendere possunt: quæ non minima est veræ Ecclesiæ nota.

VI. Quod si Burdigalensium Archiepiscoporum catalogum & successionem scire desideras, ean tibi illa repetit à Francisco Decoubleau de Sourdis, Illustrissimo Cardinali, & religioso Prelato cuius prædecessor fuit Antonius Sanficus, cui sui decus: inde porro retro ad Ioannem Bellaium Franciscum Maumium, Carolum Gramontium, Ioannem Foxium, Andream Espinæum Arturum Montalban, Blasium Greslæum Petrum Berlandum, Dauide Monferrandum, Franciscum Vrbannum, Eliam Henricum, Bernardum Amanium, Petrum Arnoldum, Bertrandum de Gout, qui postea ad Pontificiam euectus fuit dignitatem. Clemens V. dictus Henricum, Robertum, Simonem, Petrum, Gerardum, Gulielmum, Eliam Bertrandum, Arduinum, Godefridum, Bertrandum, Godefredum, Arnoldum, Amatium, Andronium, Gombaldum, Goffiodum, Frøtarium, Gondegisilem, Bertrandum, Leontium, Cyprianum, Leontium, Gallicerium, Amanum Delphicum, Orientalem, ac tandem ad S. Gilbertum, qui primus post S. Martialem fuit Episcopus, septuagesimo circiter anno post mortem Christi servatoris. Eodem modo Parisienses ad S. Dionysium, Lugdunenses ad S. Photium, Tolosani ad S. Saturnium, Lemoines ad S. Martialem, Biturices ad S. Visnum, Viennenses ad S. Crescentem, Narbonenses ad S. quendam Paullum, Aruerni ad S. Austremonem, Petro-

corij
ad Heb. 13. 11. Aff. 20. 18. b. Aff. 20. c. Homil. de Adam & Eva. d. Hier. Epist. 85. Matt. 10. Mar. 3. Aff. 6. 13. 15. Aff. 20. f. Epiph. lib. 3. cont. hæres. g. ad Phil. li. 4. epi. 9. & li. 3. ep. 9. i. ep. 5. 9. k. in Psalm. 44. S. Ambros. de dign. sacerdot. c. 5.